



1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.

τὸ ἐπιγεῖον γαμικόν

In honorem Viri

*Piâ honestate & honestâ pietate conspicui*

**Dn. GEORGI  
MATTUSSII VIDUI,**

Et civis apud Bucchavienses Bohemo-  
rum primarii, nuptias secundas contrahentis  
sexto die Mensis Julii (stylo Gre-  
goriano)

*Cum honestâ & pudicâ Virgine*

**SUSANNA SCHIND-  
LERIANA,**

*Viri, honestate & virtute ornatissimi JOHANNIS  
SCHINDLERI, ibidem civis Filii.*


Anno τῆς χεῖρογονίας 1606.

Scriptum ab Affine

**M. GEORGIO GŒCE-  
NO,** Scholasticæ pubis Informatore  
in Schola, quæ est apud Ellenbo-  
genes vicinos.

*JENÆ excudebat Tobias Steinman.*





ἠφοσ φώνησις

*Ad Sponsum & Sponsam.*



**S**PONSE & SPONSA, piâ prece cum pulsa-  
bis Olympum  
Non, amor in DOMINO coeptus, ina-  
nis erit.

Eventus capiet, nova res suscepta, secundos,  
Quodque, Deo duce, coeptum est, bene cedit opus;  
SPONSE & SPONSA sua statione labore & oret  
Quisque; Deus votis fata secunda feret.

*Anagrammatismus.*

GEORGIUS MATTUSSIUS SPONSAE SUAE:

Venus saepe, ut iugis ossa, Amor gesti:

**S**Ugis ut ossa, Venus, saepe, Amor gesti; omnia, castos  
In mores, Veneris facta, decenter eant:

Suscipe, amica, virum, complectere amanter amantem,  
Atque premam ad charas ora sonora genas:

Dulcis amica, viri conserva semper amorem,  
Fac nunquam casti cesset amoris opus:

Cum mecum officij, mecum certabis amore,  
Vita erit, in gemino corpore, grata Deo:

Cum pia coniunget socias concordia mentes,  
Res late excipient meque, tuumque, genus.

**S**ponsus amat Sponsam, quis crederet? atque **SUSANNA**  
**S**ponsæ, sub amplexus tendit, amice, tuos;  
 Fata thorum viduant, ereptâ conjugè, primum,  
 Fata thorum violant, abripiendo parem;  
**S**ponsæ diu fatis es privatus compare lecti;  
 Lege, decet juvenes nubere, lege, viros:  
**H**umanam **D**eus hac vult ire propagine gentem,  
 Et vetat, ut foedi regnet amoris opus,  
 Vincula, **S**ponsæ, thori repetis, quo tempore **MAIUS**  
 Claudit iter veris, primus & æstus init.  
**MAIUS** abit, **S**ponsò perierunt gaudia **MAII**,  
**MAII** deliciae præteriére citò;  
 Quis violas necet? manibus quis florida texet?  
 Si qua dies **MAII** lætior omnis abit?  
 Quis Sponso viduo genitalia festa parabit?  
 Quis flores franget? quis leget atque rosas?  
**S**ponsæ quid illicito juvat indulgere dolori?  
 Delicias tempus namque habet omne suas;  
 Sint exacta licet nitidissima tempora **MAII**,  
 Non tamen æstatis gaudia proflus eunt;  
 Nunc erit æstivo, tibi dulce, in amore morari,  
 Dulce erit, æstivi mensis amore frui:  
 Omnia nunc rident, recipit sua gramina campus,  
 Flore ac odore bono prata parata vigent.  
 Surge **SUSANNA**, rosas sparge, & genitalibus orna  
 Floribus has mentas, lilia frange manu;  
 Res & opes partæ, decus arte & parte paratum est,  
 Nunc opus est tædis, voce, favere sacris.

En iterum Sponso, festivo pectore habendam  
 Portat ab Eoo Phosphorus axe diem ;  
 Aestatis veniunt lætissima gaudia Sponsi ;  
 SPONSE sub amplexus lecta SUSANNA venit,  
 Lecta SUSANNA venit, viridi quæ ludet in arvo,  
 Non genus aut genium lædet in æde tuum ;  
 Ludet non lædet, veniet Venus apta marito,  
 SPONSE piæ Veneris veneris ante rosam,  
 Hanc inter Veneres optatas lusibus aptis  
 Nocte sub illuni, dulce loquendo, legis :  
 Ista tibi desiderium dispellet amatae  
 Quondam MARIAB ; ludet at arte pari ;  
 Pro prima pariet pia pignora, perdita primùm  
 Parte potest pietas, parte parare pudor ;  
 Primus amor sine spe sobolis te, morte, fefellit,  
 Alter amor sobolis spem dat amore novo ;  
 Illa absente doles, gaudes præfente SUSANNA,  
 Res obeuntis abest, flos venientis adest ;  
 Flos venientis adest, sed abest corpus morientis,  
 Corde obeunte doles, corde ineunte vales.  
 SPONSE quiesce tuæ requiem gratare MARIAB,  
 Quam capit & quam tu post pia fata cupis ;  
*Sic fieri ille jubet superi regnator Olympi,*  
*Non sine divino Numine facta cadunt ;*  
 Parta tibi est (lachrymas defunctæ pelle maritæ)  
 Hic nova res, conjunx vivida parta tibi est ;  
 Dilectæ lachrymas, tenues quæ celsit in auras,  
 Pelle tuæ, partu est, Sponsa parata, novo ;

Pro



Pro moriente, venit tibi viva SUSANNA, MARIA,  
 Casta SUSANNA rosæ nominis omen habet:  
 Culta SUSANNA rosa est quâvis florentior herbâ,  
 Casta ROSINA venit, costa SUSANNA manet,  
 Non rosa nomen habet, soleat quod rodere corpus,  
 Sed rosa de spinæ cuspide rosa manet;  
 Sic tibi SPONSE, rosa hæc, non ut malè rodât & angat,  
 Ducitur, ast sit honos nec sit amoris onus,  
 Ceu rosa, spinarum de cuspide fixa, nitescit,  
 Sic niteat duris rebus amica viro;  
 Ceu rosa lacteolum redolet cum sanguine florem,  
 Sic feret, hæc, dulci in sanguine lactis opus;  
 Pellit ut immundam vultu rosa perlita lepram,  
 Sic levet hæc placidis tempora dura sonis;  
 Non magis utilior febrim levat herba malignam,  
 Illita quàm tostæ cum datur unda rosæ;  
 Sic animus Sponsi qui curæ fluctuat æstu,  
 Ex lachrymis costæ dulce levamen habet;  
 Quam rosa dat flores, flos fructus, fructus odores,  
 Tam pia dat mores, uxor, honoris amans.  
*Suave merum, suavis mulier, mens conscia veri;*  
*Quid tribus his junctis suavius esse solet?*  
 SPONSE ROSINA venit, tibi nomine casta SUSANNA,  
 Dulce sibi est nomen, dulcius omen erit.  
 Fallor, an hæc rosa sit, roseum quæ spirat odorem?  
 Est preciosa satis, perniciosa minus:  
 Hæc utinam ROSA sit de multis floribus hausta,  
 Hæc rosa pro multis floribus esse queat:

Nominis antè tibi venient oblivia SPONSE,  
 Quàm pietas hujus sit tibi pulsa rosæ.  
 Opto videre diem, levis ut non gloria mentis  
 Vis sit ante oculos, lecta ROSINA, tibi:  
 O dulces Veneres, lasciva Cupidinis arma,  
 O cœca arma, quibus militat omnis amans.  
 Quid memorem Veneris suspectæ munera Divæ?  
 Queis ferit atque petit pectus, amore, viri;  
 Eloquar an fileam? num SPONSUS amore ROSINAE  
 Ardeat, ut suaves procreet inde rosas;  
 Mirum, nî ROSBUS referat cum tempore flores,  
 Mirum; suavis odor si sine fruge abeat?  
 Esto, non dabitur (quando ignis fervet in igne).  
 A licito quemquam vel prohibere thoro,  
*Fortuito casu non mas & scemina surgunt,*  
*Sed legit atq. ligat Fatum in amore duos;*  
*Fatum in amore duos jungit, connubia Fato*  
*Existunt: Fatuo est res odiosa thorus;*  
 Cum sacrata duos lex sub iuga jungat amoris,  
 In geminis eadem mens sit & una caro;  
 Plus in amore valet geminato candida virtus,  
 Quàm spaciola domus, dos speciosa valet;  
*Dispereunt nummi, perit auri copia dives,*  
*Virtute atq. fide conciliatur amor.*

io x h y a p u d .

SPONSE quis invidet, si vos DEVS atq. propinquus  
 Sancta jubent sancti fœdera inire thori;

SPONSA

*SPONSA datur tumulto, thalamo datur altera Sponsa,  
 Verti qua nequeunt consule fata boni:  
 Surgit honor, surrexit amor, perrexit opus, quod  
 Est bene susceptum, perstat amoris honor:  
 Cum bene cessit honor, vigeant grata otia amoris,  
 Illicita Veneris fervor & error eat,  
 Legitimus coniunxit Hymen cum pectora vestra,  
 Pax sine lite viget, lis sine pace riget;  
 Alea sub thalamo hoc felix bene currat utriq;  
 Prosperitatis opus, posteritatis opes:  
 Quod si vestra pari conspirent pectora plausu,  
 In thalamo latus lusus & usus erit:  
 Esto venusta ROSINA tuo nec onusta marito,  
 Officiosa nimis sis, odiosa minus;  
 Et ride placidis dictis, nec rode facietis,  
 Blanda puella mone, plant a tenella mane,  
 SPONSE rose faveas, roseam foveasq; SUSANNAM,  
 Tunc tibi ab hoc venient stemmate mille rose:  
 Prospera cuncta fluant, qua Sponse, es molliter orsus  
 Dante DEO, precor, & postera juncta fluant:  
 Det DEVS omne bonum Regnator & arbiter Orbis,  
 Qui ferat auxilium; qui fuget exilium:  
 Sit procul hinc Erebi moderator & arbiter Orci  
 Qui parat exitium, quo perit officium:  
 Lata fidem soboles, soboles & lecta pudorem  
 Concinat ad cunas, dulce strependo, sat est.*

AdSpon-  
sam.

AdSpon-  
sum.

••••••••••••••••••••

*OFFICIUM SEDULÆ CONJUGIS DOMESTICÆ.*

**I**N foribus tenues ceu ducit aranea calles,  
Subtilique trahit fila tenella pede:  
Sedula suspensis, sub tecta domestica, conjunx  
Versato fuso stamina torta trahat.  
An non dic, quæso, Venerem depinxit Apelles  
In concha stantem? nunquid & omen inest?  
Ut concha in propria mansit Venus ac stetit; uxor  
Sic sedet in propria sede & in æde manet.  
Floribus atque rosas insistit tempore Verno  
Per nemorum Tempe florea sedula apis;  
Sedula floriferis in saltibus omnia libat,  
Colligit & dulces sub sua tecta favos:  
Parva apis exemplo est magni tibi, SPONSA, laboris,  
Quæ monet, ex operis optima quæque legas.  
Sic quæ, SPONSA, fidem das more & amore jugali,  
Dante Deo, ex operis accumulatur opes.

F I N I S.



Stadtbibliothek Chemnitz



A098658X

